

guitur; ergo posita sola gratia sufficienti aliquid intrinsecum deest sine quo nunquam dabitur operatio; ex hoc autem sequuntur duo gravia inconvenientia. Primum, quod sine gratia efficaci non habet homo omnia requisita ad operandum, quoniam aliquid intrinsecum deest, sive requiratur tamquam virtus, sive ut conditio; sicut si igni deest applicatio ad materiam, aliquid necessarium ad operandum deest, et est impeditus ad agendum: secundum est, quia quantumcumque gratia efficax sit applicatio, vel conditio ad agendum, tamen si denegatur a Deo, aliquid necessarium ad operandum denegatur. Cur ergo imputabitur homini si non operetur, præsertim quia ista denegatio incipit a Deo, nec semper est ex culpa hominis, ut patet in denegatione gratiæ in primo peccato.

XIX. Respondetur, quod deest aliquid intrinsecum requisitum non ad posse operari, sed ad ipsum operari, sicut quando deest concursus simultaneus; et ad primum inconvenienti respondetur, quod sine gratia efficaci habet homo omnia requisita ex parte virtutis, et potestatis, non ex parte applicationis ultimæ qua causa secunda a causa prima movetur ad agendum. Neque est simile de applicatione ignis ad passum, vel quacumque alia applicatione materiæ, vel objecti ad potentiam, quia omnes istæ applicationes pertinent vel ad constituendam, vel ad explicandam virtutem causæ secundæ in ipso ordine, et linea causæ secundæ, sed quia ad operandum non sufficit concursus causarum secundarum, nisi etiam adsit conjunctio causæ primæ, qua ultimate moventur, et applicantur causæ creatæ, ideo ista applicatio gratiæ nec dat virtutem, nec tollit impedimenta causæ secundæ in ipso ordine, et linea causæ sequen-

dæ, sed ponit in illa subordinationem ultimam, et actualem ad causam primam, qua posita statim exit operatio. Ad secundum inconvenientiense late respondet S. Augustinus libro de correptione et gratia; quem librum occasione hujus argumenti composuit: videatur ibi capite tertio et sequenti. Breviter interim dicimus, quod licet prima denegatio gratiæ efficaci, et vocationis congruæ non sit ex aliqua culpa præcedenti, imputatur tamen mihi non quod caruerim gratia efficaci, sed quod carens illa operor cum defectibilitate. Itaque origo peccati non est carentia efficaci gratiæ, sed pondus defectibilitatis nostræ, non sustentatæ a gratia Dei; sicut pondus gravitatis in lapide, est causa cadendi remota sustentatione columnæ. Deus autem non tenetur nobis dare gratiam efficacem, et vocationem congruam semper, quia hoc est indebitum indifferentiæ liberi arbitrii, et mutabilitati ejus; et ideo non tribuitur Deo quod ego cadam, sed præcise gravitati defectibilitatis meæ; quia tamen habebam sufficientem gratiam, qua poteram vitare peccatum, et gratiam efficacem mediante Deo habebam in præparatione, ideo mihi simpliciter imputatur quidquid operor, vel omitto moraliter sine hac gratia, semper enim mea culpa cado, licet non semper mea culpa gratia careo.

### ARTICULUS III.

*Quomodo gratia efficax ab auctoribus explicetur.*

I. Negant omnes, qui articulo præcedenti sentiunt cum Molina gratiam efficacem non distingui intrinsece a gratia sufficienti, nec gratiam efficacem in aliquo physico

dono antecedente ad operationem consistere, constituuntque efficaciam gratiæ in ipsamet gratia sufficienti prout datur in tempore, et occasione congrua, qua prævidetur voluntas operatura, quæ est quasi moralis congruitas, nam istam sæpe requirit Augustinus dicens quod gratia efficax trahit nos voluptate, et suavitate quadam, et quia suasionibus, et vocationibus agit nos Deus, ut dicit libro de spiritu et littera, capite xxxiv, et quia eadem res uno modo proposita movet, alio modo proposita non movet, et tunc vocatus sequitur vocantem quando eo modo vocat Deus quo aptum est eis, qui vocationem sequuntur, ut inquit libro primo ad Simplicianum, quæstione secunda, infallibilitas autem hujus efficaciæ pure reducitur ab his auctoribus ad illam præscientiam, qua Deus ante omne decretum suum videt quid nostra voluntas in tali vel tali occasione cum hac vel illa gratia sit factura.

II. Cæterum ex his qui tribuunt intrinsecam infallibilitatem gratiæ, non solum ex parte præscientiæ voluntatis divinæ, auctores divisi sunt, nam quidam assignant hanc efficaciam in ipso decreto, et voluntate Dei secundum se, non in aliqua physica mutatione, quæ realiter imprimatur nostræ voluntati. Alii præter decretum admittunt aliquam realem mutationem factam in voluntate, quasi executionem decreti divini, sed dividuntur in explicanda necessitate, et quidditate hujus physiciæ mutationis; nam quidam existimant physicam mutationem non semper esse necessariam, sed aliquando sufficere moralem, esse tamen possibilem: quod sequitur Lorca hic disputatione XXI; qui vero existimant simpliciter esse necessariam physicam aliquem mutationem, etiam sunt divisi: aliqui dicunt

consistere in actibus voluntatis indeliberatis quatenus habent connectionem cum deliberatis, vel etiam in liberis, si contingat primum actum voluntatis esse liberum, contra quam sententiam egimus disputatione præcedenti, articulo secundo. Alii vero existimant consistere in qualitate, sive motione actuali immediate derivata a Deo, quæ non dat virtutem, et potentiam ad agendum, sed applicationem, et determinationem virtutis ad exercitium actus hic et nunc. Itaque gratia sufficiens datur ad speciem actus, efficax ad exercitium: illa magis respicit objectum a quo est specificatio, hæc magis respicit subjectum a quo est egressio operationis: cæterum adhuc est differentia licet modica, an ista gratia efficax teneat se ex parte actus primi, vel ex parte actus secundi, quia cum sit applicatio, et quasi transitus de actu primo ad secundum, quidam considerant illam ex parte unius extremi, scilicet actus primi qui applicatur: alii ex parte alterius extremi, scilicet actus secundi ad quem applicatur, licet nullus ponat quod sit ipsemet actus secundus, hic enim effectus est gratiæ efficaci, nec quod sit ipse actus primus, hic enim virtus, et potestas est.

III. Igitur resolutorie dico primo: Ponenda est motio physica in voluntate infallibiliter movens ad actum, quæ libertatem non tollat. Vocamus motionem physicam, eam quæ distinguitur a morali; moralis autem est quæ mediante propositione objecti movet, et quasi per portam intellectus in voluntatem ingreditur; et dicitur moralis, quia suasionem, et allicientiam attrahit voluntatem, qui est modus moralis attrahendi; vocatur autem physica motio non quasi naturalis, sed quasi realis, non metaphorica neque

moralis seu objectiva, sed effectiva. Et non negamus Deum etiam priori modo agere in voluntatem proponendo illi objectum, cum ex Scriptura, et Augustino constet Deum nos movere per legem, per doctrinam, per suasionem, etc. quod totum etiam Pelagius concedebat apud Augustinum libro de gratia Christi, capite VII et X; sed addimus peculiare esse Deo tamquam primo agentis, et causæ universalissimæ quæ est radix ipsius voluntatis, inclinare ipsam, et movere mutatione aliqua reali effectiva distincta a propositione objecti. Itaque Deus non solum movet suavitate, et delectatione objectiva, sed etiam effectiva, et utrumque requiritur ut sit victrix delectatio, ut ex Augustino præcedenti disputatione vidimus. Igitur quod secundum D. Thomam ponenda sit alia motio Dei quæ non sit moralis, et objectiva, sed physica ut distinguitur a morali, sic ostenditur.

IV. Omnia objecta, et agentia creata possunt movere voluntatem motione morali penes propositionem objecti, sed D. Thomas fatetur alio peculiari modo movere Deum voluntatem, quam moveant agentia, et objecta creata, ergo sentit præter modum movendi moraliter dari alium modum movendi, et hunc vocamus physicum, id est, realem effectivum, ut distinguitur ab objectivo. Consequentia est bona, et major certa, quia omne objectum creatum potest proponi voluntati, et apprehendi per intellectum; ergo potest motione morali movere. Minor constat ex D. Thoma I p. q. cv, art. iv, ubi inquit: « Voluntas movetur ab objecto quod est bonum, et ab eo qui creat virtutem volendi. Potest autem voluntas moveri sicut ab objecto a quocumque bono, non autem sufficienter, et efficaciter nisi a Deo. » Similiter autem virtus volendi a solo Deo causatur, velle autem nihil

aliud est, quam inclinatio quædam in objectum voluntatis, quod est bonum universale; inclinare autem in bonum universale est primi ventis, cui proportionatur ultimus finis, sicut in rebus humanis dirigere ad bonum commune est ejus qui præest multitudini, unde utroque modo proprium est Dei movere voluntatem, sed maxime secundo modo interius eam inclinando. Et solutione ad primum et secundum et tertium docet, quod moveri a principio extrinseco non est cogi, nec tolli rationem voluntarii, quia illud principium extrinsecum dat voluntati inclinationem ipsam, non autem contra inclinationem eam movet. Eandem doctrinam repetit 1-2, quæst. ix, art. vi, et quæst. x, art. iv, et alibi sæpe, ex quo fit argumentum in doctrina D. Thomæ invictum: D. Thomas distinguit illos duos modos movendi voluntatem, scilicet ex parte objecti, et ex parte creantis voluntatem; sed illa motio quæ est ex parte objecti, et communis omni bono, est moralis; ergo illa alia quæ est ex parte virtutis creantis, et est maxime propria Dei non est moralis, neque ex parte objecti; ergo est physica, quia illam motionem vocamus physicam, quæ non est moralis, et objectiva, sed effectiva.

V. Ex S. Augustino colligitur clare eadem necessitas ponendi motionem physicam, et non solum moralem. Primo, quia totum quod pertinet ad motionem moralem est suasio, vel propositio objecti, est enim moralis motio objectiva, objectum autem non movet nisi ut cognitum, cognitio autem idem est quod illuminatio, vel doctrina, aut propositio objecti, sed Augustinus agens contra Pelagium libro de gratia Christi, capite x dicit, quod Pelagius admittebat operationem gratiæ quæ est per modum suasio-

nis, et illuminationis, et doctrinæ etiam occultæ, et internæ, et ponderavimus disputatione præcedenti, et Augustinus dicit hoc non sufficere ad efficaciam gratiæ, sed requiri subministrationem Spiritus, et virtutis; ergo aliquam motionem fatetur Augustinus in gratia, quæ non sit moralis, et objectiva, quia si aliquam motionem moralem, et non physicam haberet gratia, maxime vocationem, quia hæc tenet se ex parte intellectus, et objectum proponit, sed post vocationem requirit S. Augustinus aliquas alias vires addi voluntati, ut proficiat, et operetur; ergo istæ non sunt morales, sed physicæ; nam si solum essent morales ad vocationem, seu propositionem objecti pertinerent. Minor patet ex libro quarumdam propositionum expositionis epistolæ ad Romanos, propositione LXII, tom. iv, ubi sic inquit Augustinus: « Quia nec velle possumus nisi vocemur, et cum post vocationem voluerimus non sufficit voluntas nostra, et cursus noster, nisi Deus, et vires currentibus præbeat, et perducat quo vocat. » Cujus loci expresse meminit Augustinus primo retractationum, capite XXIII, et confirmat verissimum esse. Et affert locus iste magnam lucem ad intelligendum, quod alias quando Augustinus efficaciam gratiæ ponit in vocatione congrua, et secundum propositum, non intelligit vocationem nudam, ut dicit propositionem objecti tali tempore, et occasione datam ut moveat moraliter, sed post ipsam vocationem dari vires voluntati ut operetur, quæ non sunt morales, cum non pertineant ad ipsam vocationem, et propositionem objecti.

VI. Pro quo facit etiam D. Cyrillus Alexandrinus (cui in rebus theologicis, et dogmaticis maxime standum est, sicut et Ecclesia stetit) præter cogitationem istam sanctam

quam pater Vazquez ponit, aut suasionem, doctrinam seu illuminationem, etiam internam (quam non sufficere Cyrillus sentit, sicut etiam Augustinus) physicam Dei motionem, et operationem in nostra voluntate requirens: ponderans autem sanctus pater Cyrillus libro primo de adoratione et cultu, locum illum Genesis XIX, ubi Angeli miserunt manum, et introduxerunt ad se Loth in domum, et ostium domus clausurunt, virosque qui apud januas erant percusserunt cæcitate. Cumque esset mane, et vellent Loth, uxorem, et filias ejus e civitate egredi ne perirent, apprehenderunt manum uxoris, ac duarum filiarum ejus, eo quod parceret Dominus illis, sic ait: « Manifesto argumento tibi hoc esse potest, nos non verbis solum incitari, et adhortationibus menti immissis (ecce suasionem, doctrinam, cogitationem, et internam illuminationem) ut a peccato discedamus, sed tanta benignitate erga nos uti servatorem totius universi Deum, ut actu ipso efficaciterque nobis auxilium præstet, secundum quod scriptum est: Apprehendisti manum dexteram meam, et in consilio tuo deduxisti me. Cum enim humana natura non satis valida est, neque per se sufficit ut malum effugere queat, una quodammodo nobiscum contendit Deus, duplicique beneficio efficere cognoscitur, admonitionibus nimirum persuadens (ecce suasionem, et moralem motionem) et subsidium præstans fortius quam ut ab impediendo, aut imperante malo superari possit: » ecce vim, et motionem physicam, præter moralem etiam a Cyrillo requisitam.

VII. Tertio, intelligit physicam motionem Augustinus quando dicit in libro de gratia et libero arbitrio, capite XVI: « Quod Deus facit ut faciamus præbendo vires efficacissi-

mas voluntati : » et libro contra duas epistolas Pelagianorum, capite LIX, dicit : « Deum operari in cordibus hominum, ut homines volentes ex nolentibus fiant : » et capite XX : « Quod Deus efficacissima, et occultissima potestate convertit cor regis Assueri de indignatione in lenitatem. » Hæc enim salvari non possunt in motione morali tantum, qui per illam non agit Deus intus in corde, seu voluntate, sed extra in intellectu mediante propositione objecti : nec est occultissima potestas, cum fiat modo communi et manifesto, scilicet per manifestationem, et propositionem objecti, neque est efficacissima, quia cum sit moralis non est efficax ex sua natura, sed potest reddi inefficax, et fallibilis a voluntate nostra. Et ad idem pertinet quod dicit S. Augustinus libro de gratia et libero arbitrio, capite XXI : « Operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit ; » si autem solum operaretur illuminando, et proponendo objectum, hoc modo etiam homines, qui objecta ipsa proponunt, et diabolus qui interius incitat, dicitur inclinare voluntatem, nec tamen intus in corde operantur ad voluntates inclinandas.

VIII. Quarto, fatetur Augustinus gratiam efficacem ita esse infallibilem quod a nullo humano arbitrio ei resistitur, vel impeditur, ut probavimus articulo præcedenti ex enchiridio, capite XCVII, et libro de correptione et gratia, cap. VIII et XII et XIX. Ergo sequitur quod debet esse physica, et non moralis motio, quia omnis motio moralis ex natura sua fallibilis est, cum solum moveat mediante objecto proposito, quod nunquam infallibiliter trahit voluntatem extra Deum clare visum : et similiter omnis motio moralis voluntate nostra potest retineri, aut amitti, quia non est ab intrinseco

infallibilis, sed contingenter proponitur. Sed Massilienses dicebant quodlibet donum gratiæ efficacis datum prædestinatis voluntate propria posse retineri, aut amitti, ut refert Hilarius in epistola ad Augustinum, quod tamen inquit ipse esset falsum, si verum existimarent eam quosdam perseverantiam accepisse ut non nisi perseverantes sint, quæ est propositio Augustini, qua explicat gratiam efficacem libro de correptione et gratia, capite XII. Ergo si est vera falsum est dicere omne donum efficax propria voluntate posse retineri, aut amitti ; ergo etiam est falsum quod solum sistit in morali motione, quia hæc potest propria voluntate retineri, aut amitti. Denique facit pro hac parte illa differentia quam ponit Augustinus inter gratiam sufficientem, et efficacem, utramque definiendo libro de correptione et gratia, capite XII, ut late retulimus articulo primo. Videatur ibi.

IX. Dices : Ista omnia salvantur sine hoc quod gratia sit intrinsece ratione præscientiæ, qua videt Deus quod in tali tempore, vel occasione sit futurus consensus, et tunc vult dare gratiam. Sed hæc responsio tangit ea qua de scientia media tractari solent prima parte, quæst. XIV. Breviter autem dicimus, quod illa fallibilitas præscientiæ sumitur ex eo quod Deus videt se facturum in voluntate, vel ex eo quod videt a voluntate faciendum. Si primum, ergo certitudo illius præscientiæ fundatur in decreto Dei antecedente nostrum consensum, et causante illum pro illo tempore, et occasione : si secundum, currunt argumenta facta, quia gratia ipsa a consensu, et voluntate nostra prævidetur reddi efficax vel inefficax, non autem ex vi voluntatis, et potestatis Dei efficax et infallibilis est, et consequenter quando Deus promittit

nobis efficacem gratiam, et bonam voluntatis operationem, promitteret id quod præscit nos facturos, non quod ipse facturus est ; quod aperte negat Augustinus in libro de prædestinatione sanctorum, cap. X, et correptione et gratia, de capite XXII.

X. Dico secundo : Efficacia divinæ gratiæ semper consistit in motione physica, non autem aliquando salvatur in sola morali. Constat hoc ex dictis, quia gratia efficax semper est infallibilis secundum se, motio autem moralis nunquam ab intrinseco est infallibilis. Et præterea, quia si aliquando datur motio physica, vel fundatur in essentiali subordinatione ad causam primam, vel non. Si primum, ergo ad omnes actus causæ inferioris requiritur, quia essentialis subordinatio nunquam variatur : si secundum, non poterat illa physica motio infallibiliter obtinere effectum, nisi voluntas pro sua libertate reddat illam efficacem. Patet hoc, quia ut consequatur effectum, non solum debet efficere quod voluntas operetur actum determinatum, sed etiam quod operetur illum libere, et non determinate ; ut autem physice causet libertatem debet esse radix, et principium illius, et consequenter illi subordinari nostra voluntas, quare implicat quod motio physica sit infallibiliter efficax ad efficiendum actum liberum, nisi in vi essentialis subordinationis causæ liberæ creatæ ad causam physice moventem. Si autem semel subordinatur essentialiter quoad physicam motionem, semper indiget illa, neque enim minus pendet ab ea quæ ordinario modo fiunt, quam quæ extraordinario modo. Quo genere argumenti utitur S. Prosper contra Collatorem, cap. XIII : « Quasi vero, inquit, potentia gratiæ Dei illos tantum ad Filium attrahat, quos aut voce increpaverit, aut poena obtriverit, aut terrore tre-

mefecerit, illorum autem mentibus nihil suæ virtutis admoveat, qui ad promissiones redemptoris sui spealacri et avido desiderio concurrerunt, sed veritas dicit : Nemo venit ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum : si ergo nemo venit nisi attractus, omnes quocumque modo veniant, attrahuntur. »

XI. Dico ultimo : Efficacia gratiæ neque consistit in solo decreto sine reali mutatione in tempore facta, neque in actibus indeliberatis, per quos voluntas transit ad liberos, sed in qualitate a Deo immissa per modum transeuntis, quæ habet pro effectu formali reddere causam secundam, seu actum primum applicatum, et ultimate actuatam ex conjunctione ad causam primam ut operetur. Et quidem illud de decreto extrinseco rejicitur ex verbis S. Thomæ 1-2, quæst. CX, articulo II, ubi dicit gratiam actualem, qua movetur homo ad aliquid cognoscendum, vel volendum, vel agendum, esse gratuitum effectum, non per modum qualitatis, sed per modum motus : est ergo aliquid extra decretum Dei tamquam illius effectus : hæc autem gratia actualis est quæ dividitur in sufficientem, et efficacem ; ergo efficax est aliquid factum a Deo, et non solum ipsum decretum. Et idem sumitur ex D. Augustino, dum explicat efficaciam gratiæ per hoc quod Deus operetur intus in cordibus nostris inclinando voluntates, quod sine effectu ad extra stare non potest. Et ratio est manifesta, quia est inintelligibile quod decretum exequatur aliquid in tempore, nisi per aliquem effectum extra se ; ergo si est decretum quod voluntas applicetur, et inclinetur ad agendum non potest in tempore consequi iste effectus, nisi decretum ipsum immutet ipsam voluntatem in tempore, et reddat illam determinatam, et applicatam, neque enim per